

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Caput VII. Praxis celebrandi, cùm quis prolixius orare non potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt, nec de mensa cœlesti fructum reportant: quia tantum Dominum ad se venientem indignè excipiunt, nec reverentur, aur gratias agunt, imò protinus ab eo recedunt ipsumque contristant, Majestatem ejus, & incomprehensibilem dignitatem parvi pendentes, nec advertentes quanta sit fœditas, vilitas, & miseria ipsorum, ad quos venire dignatus est. Quod si adhibitâ omni diligentia ad dignè & devotè celebrandum contingat, aliquem hujus convivii fructibus minimè perfrui, id admirabili sapientiae Dei adscribendum est, qui hoc permittit, ut suæ industriae non tribuat homo hoc gratiæ donum, sed cautè illud custodiat, & se illo semper indignum profiteatur.

C A P U T . VII.  
Praxis celebrandi, cum quis prolixius orare non potest.

S. I.  
*De Preparatione.*

**Q**UAMVIS humana negotia diviniis functionibus nullo modo æquari, ne cum præferri debeant: quia tamen sunt aliqui Sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis & inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant, brevem illis & expeditam proximè propnere necessarium duxi, quâ ut possint, cùm celebrare voluerint, ne minus dignè divinum sacrificium offerentes, ejus fructibus priventur. Hæc autem tria tempora complectitur, id quod Missam antecedit, id quo perficitur, & quod proximè subsequitur.

Ante Missam præmittenda præparatio duplex, remota & proxima. Pro remota hæc servanda. Vespere præcedenti cogitet, se die crastinâ hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum, eiique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiae, amoris, & desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet; caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immerget, & ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari & recolligi non possit. Proximè ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omniq[ue] seposita rerum agendarum sollicitudine, mentem erigit ad cœlestia. Perpendat quâ devotione se sen-

tat ad celebrandum incitari, quo fine moveatur. Conscientiam excutiat, & si aliquam ei maculam inesse reprehenderit, Sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu, & firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, charitatem accendat, passionem Domini commemoraret, dirigat intentionem, & Dei opem sibi & aliis flagitet. Auxilium quoque B. Virginis & Sanctorum serventer & humiliter implorabit. Horum actuum & affectuum formulas suprà descripsimus c. 4. quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit pro suo capu & devotione.

## S. II.

*De Celebratione.*

**M**ISSÆ celebrationi tres comites adjunges, reverentiam, attentionem, & devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modestè graviterque fiant, præscriptis cærementiis exactissimè servatis, summâque adhibitâ humilitate, quæ omnino necessaria est Hostiam immaculatam offerenti in conpectu Dei & Angelorum. Attentio mentem coërcet, & iis quæ aguntur assigit, ne ad alia defluat & evagetur. Devotione voluntatem inflamat, ne languide & ex consuetudine sacra operetur, sed cum ingenti fervore, solerisque studio Deum placandi & colendi. Quia verò animus parvum tenax recti facile distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet, & in se retineri, qualia sunt à me suprà proposita capite quinto, quæ ut ibidem notavi, brevitati Missæ nullum afferunt impedimentum. Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes Missam partiuuntur, ut in singulis congruos excitent affectus, & renoverent attentionem. Prima dicitur *Contritionis*, quæ ante gradus Altaris peragit, ubi Sacerdos tanquam reus se summi Judicis tribunal corde contrito præsentat, & generali confessione noxas expiat. Secunda *Glorificationis*, quæ Missæ introitu, Angelorum cantico, & reliquis usque ad Epistolam continetur. Tertia *Doctrinae* five instructionis, quæ Epistolam & Evangelium complectitur, monita scilicet salutis à Propheticis, ab Apostolis & ab ipso Christo nobis tradita, & cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta *Fidei*, quæ Symbolo absolutur. Quinta *Oblationis*, Hostiæ salutaris oblationem continens, omniumque fidelium, pro quibus oramus & offerimus commemorationem.

Sexta



Sexta Communionis ab illis verbis Communicantes usque ad post Communionem, quæ Sacerdos animus in sublime erigitur, variisque affectibus ad divinam unionem, quæ communione peragitur, se disponit. Septima Gratiarum actionis à post communione usque ad finem. Porro in singulis stationibus variis affectus excitari possunt, raptim quidem & breviter, sed brevitatem intentione affectum, atque ordo devotionis compensabunt.

## S. III.

## De gratiarum actione.

Quatuor post Missam praestanda sunt, quorum primum & praecipuum est Gratiarum actio, secundum Oblatio, tertium Petatio, quartum Propositum dignæ coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quanto exactius fiet, tanto erit copiosior oblati Sacrificii fructus. Sicut enim ingratitudo fontem divinæ largitatis exsiccatur, ita gratitudo torrentem aperit cœlestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis & variis modis excitari, quos unctio suggesteret, & ingeniosa pietas excogitat. Hoc unum est, quod à nobis expectat Deus, ut grati simus, & memores beneficiorum ejus. Sequitur oblatio, quâ pari Deo reddere Sacerdos potest, Filium ejus Unigenitum & consubstantiale ei offerendo. Se ipsum quoque offeret Patri & Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: & quod gravior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis & omnium Sanctorum, ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio, & tota fiducia nostra. Quia vero cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis & aliorum necessitatibus humiliter & ferventer deprecabitur. Horum auctum formula in promptu habenda erit, potestque ex his excerpi, quæ superiori capite descripta sunt. Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem Christianæ perfectionis perveniat.

## S. IV.

## Aspirationes post Missam sèpè per diem repetenda.

Quis me separabit à charitate tua Domine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea: non amor mundi, quia ipsum sperno

& omnes pompas ejus: non tribulatio, quia tu dum tribuler mecum es: non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum, & dixit me: non persecutio, non gladius, quia hæc dulcia mihi sunt propter te: non creature, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere, cui te relieto adhæsit anima mea? quando trahes me post te captum specie tuâ & pulchritudine tuâ? Quando mihi & toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, & tu vivas in me? O si semper te amarem, te semper possiderem, à te nunquam discederem, in te prorsus converterer?

Quid possum extra te desiderare, cùm in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non suffici.

O amor, qui omnia potes, quando facies ut diligam te toto corde, totâ animâ, totis viribus?

Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum & desiderium meum.

Refice Domine esurientem animam meam: accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate presentiae tuae.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infirma & creata in contemptum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in Cælum, & ne permittas me vagari super terram.

Penetret queso hujus Sacramenti virtus omnia intima mea, & quidquid in me prævum, quid vitiosum est, mortificet & eradicet.

In te Jesu invincibilis, sit omnis delectatio mea: tædeat me gaudii quod est sine te, amara mihi sit omnis quietus, quæ non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendent, & quidquid tenebrum in me est, comburant & consumant, ut igne inextinguibili charitatis tuae ardeam, & verus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quæ me transformet in te, & in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!